



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn

Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei

Coloniæ Agrippinæ, 1687

De Oratione generatim & illius diversis speciebus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)



CAPUT I.

*De Oratione generatim & illius
diversis speciebus.*

Nomen *Orationis* communiter in tribus accipitur significationibus. Prima acceptio strictissima est pro sola *petitione* alicujus gratia. Secunda largior est pro *omni mentis in Deum elevatione*. Tertia largissima est pro *omni conversatione & colloquutione cum Deo*. De istis tribus acceptionibus nominis hujus *oratio* paucis hic aliqua differemus, ubi & ex occasione monita quaedam & documenta omninò necessaria trademus.

Prima acceptio nominis oratio.

Primum igitur *precari* sive *orare* in strictissima acceptione est ad Deum pro obtinenda gratia aliqua aut assistentia confugere. quoniam infinitis necessitatibus premimur, continuo ad Deum confugiamus, atque illius in omnibus auxilium imploremus necesse est. Et vero magnus honor est ille concessus homini, quod liberum in omnibus habeat accessum ad Deum infinitæ Majestatis: atque in hoc excessum bonitatis suæ erga nos divina illa Majestas declarat, quod ipse, qui infinite magnus est, preces nostras audire & exaudire non dedignetur. Certum insuper est, neminem unquam ad Deum confugisse, quin fuerit hæc vel illâ ratione exauditus, quia infallibilis est

Precatio est alicujas à Deo postulatio. Necessitas confugiendi ad Deum. Bonitas Dei erga nos, quod orationes nostras velit audire.